

d Matt. 20. 17. 19. Marc. 10. 31. 34. Luc. 18. 31. 34.

Mater Filiorum Zebedei pro Filiis suis aliquid petit.

Secundum hec, Mater Filiorum Zebedei una cum filiis suis Jesum conveniens, & ad ejus pedes accedens, duo honoratissima in Regno ipsius loca utrique filio postulavit. Cui Jesus: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari? Omnia spondentibus illis, ait Jesus: Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. Hac duorum fratrum postulata minus aequè tulerunt Apostoli; sed Jesus accitos ad se omnes ita affatus est: Principes gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis (e).

e Matt. 20. 20. 38. Marc. 10. 35. 45.

Cæcus ad Jericho curatur.

Propius ad urbem Jericho accedentem Jesum cæcus juxta viam mendicans, & transeantis turbæ strepitu quid rei esset certior factus, clamans, ut sui miseretur, etiam atque etiam rogabat. Accitum igitur virum idem Jesus merito fidei suæ statim valetudine donavit (f).

f Luc. 18. 35. 43.

Zacchæus ad Dominum convertitur.

Cum igitur ad Urbem veniens per viam transiret, Zacchæus Princeps Publicanorum, vir locuples, qui magno, ac diuturno videndi Jesum desiderio tenebatur, sycomoro conscensâ (erat enim staturâ pusillus) totum vententis apparatus speculabatur. Jesus ed succedens, descendere aditum jussit, significans, velle se eâ die in ejus domo hospitari. Eo dignatus honore Zacchæus, illum cæterosque comites omnes lætus excepit: quæ res variis populis de Jesu sermonibus, tanquam ad domum peccatoris divertente, occasionem præbuit. Sed Zacchæus de tanto accepto hospite secum ipse gratulatus, ita Dominum affatus est: Ecce dimidium honorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum. Tunc Jesus: Hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Veni enim querere, & salvum facere, quod perierat (g).

g Luc. 19. 10.

Parabola Regis, qui remotum ali- quod Regnum sibi petiturus, venit.

Narravit eâ occasione parabolam Regis, qui ad postulandum sibi in remota quadam regione, Regnum iter susceptu-

rus, decem mnas totidem servis singulis singulas distribuens, jussit pecuniam negotiationi exponere, quod redux auctam reciperet. Minus à subditis sibi populis amabatur: quare vix è suis finibus digressus per certos nuncios significarunt, nolle se amplius ejus imperio subesse. Verum Princeps ille post obtentam Regni, quod postulabat, possessionem, accitos servos suos de pecunia requisivit. Primus decem mnas pro ea, quam receperat, rependit; atque præmii loco à Rege in decem Urbes præfecturâ donatus est. Secundus 5. mnas solvit, totidemque urbibus præfuit. Venit tandem alius, qui singularem illam mnamin crumena solerti curâ servatam restituit; dictitans metuisse se sævum, durum, & avarum Regis ingenium, qui meteret ubi non seminasset, atque id exigeret, quod nunquam contulisset. Gravi supercilio miserum illum intuitus Rex, Tuâ, inquit, confessione damnaris: statimque ablatam ab illo pecuniam ad alium, qui decem habebat mnas, divertit, simul addens: Omni habenti dabitur & abundabit; ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Perduelles autem illos, qui suum jugum excusserant, coram se raptatos trucidari imperavit (h).

h Luc. 19. 12. 28.

Exiens Jericho duos cæcos sanitati restituit. Feriâ sextâ, 7. Nisan, 17. Martii.

EX Urbem Jericho egressus, Jerosolymam iter institutus, duos cæcos magnis vocibus sanitatem postulantes offendit, quorum alter filius erat Timæi, viri in tota regione notissimi. Accitos illos ad se, interrogatosque quid maxime vellent, visum postulantes, voti compotes fecit (i).

i Matt. 20. 29. 34. Marc. 10. 46. 52.

Dies Sabbati, 8. Nisan, 28. Martii.

PAschalem solemnitatem Sabbato proxime præcedente diu quæsitus Jesus, nusquam apparuit; quamquam venisse illum ad Festum habentes exploratum, alter alterum de illo seiscitabatur. Jusserant enim Pharisei & Sacerdotes, siquidem alicubi prodiretur, apprehendi (k).

k Jo. 11. 56. 57.

Die Dominicâ, 6. Nisan, 29. Martii. Jesus apud Simonem Leprosam canat, & Maria unguenti vase ejus pedes perfundit.

SEX ante Pascha diebus apud Simonem Leprosam Jesus discumbebat, cenantique ministravit Martha, & Lazarus inter convivas allegebatur. Cenantibus illis, Maria soror Marthæ, & Lazari unguenti nardi vas integrum super pedes Jesu refudit, linitoque comâ capitis sui absterfit. Tantam pretiosi unguenti profusionem minus probavit Judas proditor, dictitans; melius impendi potuisse, si 300. denariis veni-

1 Joan. 12. 1. 9.

m Matt. 26. 6. 13. Marc. 14. 3. 9. Joan. 12. 1. 10. 11.

Feriâ secundâ, 10. Nisan, 30. Martii. Triumphantis habitu Jerosolymam ingreditur.

MAne alterius diei è Bethania digressus, Jerosolymam versus processit, & cum ad Bethpage proximè jam accessisset, duos è Discipulis suis ad proximum pagum misit, quibus futurum denunciavit, ut incidenter in asinam cum pullo, cui nemo adhuc insedisset. Hanc autem jussit adducere, & si quid à quoquam interrogarentur, dicerent, illius necessitate teneri Magistrum. Euntes igitur illi, asinam cum pullo adduxerunt, quem pullum Discipulorum vestibus instratum adequitans Jesus, eo apparatu iter profectus est. Acclamabant interim eunti turbæ, insternentesque vestibus suis vias, triumphum ipsius celebrabant. Erant pariter, qui præcis arborum ramis eisdem vias ornarent, magnis interim vocibus acclamantes: Hosanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. Pharisei, qui venientem opperiebantur, monuerunt illum, ut turbaram acclamationes sopiret. Negavit Jesus, se tale aliquid facturum, cum vel tacentibus illis lapides ipsi plausus ingeminaturi essent (n).

n Matt. 21. 9. Marc. 11. 1. 10. Luc. 19. 29. 40.

Jesus Jerosolymam prospiciens, ingemit.

URbi jam proximus, oculis ad illam levatis, ingemuit, hæc simul cum lacrymis fundens: Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, qua ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram prosterent te, nec relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris templus visitationis tuæ (o).

o Luc. 19. 39. 44.

Delato adventus Christi Jeresolymam nuncio, procurrentes in occursum ejus turbæ, palmarum ramis faustisque vocibus acclamabant: Hosanna: Benedictus Rex Israel, qui venit in nomine Domini (p).

p Joan. 12. 12. 19.

Jesus in Templum veniens, negotiatores inde pellit.

INTER medios acclamantis populi plausus in Urbem exceptus, ad Templum se contulit, unde negotiatores omnes emen-

tes vendentesque depulit, mummulariorum subvertit mensas, & cathedras pariter vendentium columbas evertit, simul addens: Scriptum est: Domus mea Domus orationis est, & vos fecistis illam speluncam latronum. Tum omnes, quos ibi offendit, cæcos, claudosque, fanos jussit abire, & Scribis ac Sacerdotibus infantium acclamationibus, Hosanna filio David, ingeminantium, offensis, momentibusque ut silentium clamantibus indiceret, hæc reposuit: Nunquam legistis quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem (q)?

q Matt. 21. 10. 15. Marc. 11. 17. Luc. 19. 45. 46.

Alienigena videndi Jesum desiderio tenentur.

GRæcorum nonnulli, alterius à Judæis generis, qui occasione Festi Paschalis Dominum adorari venerant, S. Philippum Apostolum convenientes, videndi Jesum copiam sibi fieri postulaverunt. Ille ad ipsum Jesum retulit; qui venisse jam horam dixit, qua Patris sui gloriæ confuleretur; granum frumenti tunc germinem emittere, cum terra commissum mortuum fuerit; cum qui vitæ suæ nimio amore teneretur, illum amissurum; vicissim quicumque illam odio in hoc mundo prosequeretur, totâ æternitate servaturum. Si quis mihi ministrat, adjecit, me sequatur; & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Secundum hæc, subito conturbatus, Patrem ut suæ gloriæ confuleret, obsecravit: statimque facta de Cælo vox: Et clarificavi, & iterum clarificabo. Ad inopinæ vocis sonum hæserunt circumstantes, atque attonitis similes, alii tonitruum strepitum audisse se, alii vocem Angeli loquentis testabantur. Tunc Jesus: Non propter me vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est Mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicitur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Quorum verborum ambagibus genus mortis suæ designabat. Adjecit: Adhuc modicum lumen in vobis est; monuitque, ut quandiu lux affulgeret, properarent, ne euntibus adhuc tenebræ superfunderentur (r).

r Joan. 12. 20. 34.

Jesus lumen est Mundi.

POST hæc disca, abscondit se Jesus à Judæis, qui tot visis prodigiis nunquam tamen in animum induxerant, ut in ipsum crederent. Quamvis non infrequens erat Principum populi numerus, quibus ipse persuaserat; neque se prodere in publicum metu Phariseorum audebat. Tandem è latebris suis prodians Jesus, elatâ voce clamavit: Qui credit in me, credit in eum, qui misit me; & qui videt me, videt eum, qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Non veni ut judicem mundum, sed ut salvificem. Qui accipit verba mea, habet, qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor (s).

s Joan. 12. 37. 50.



Semel acceptum consilium perdendi Jesum Principes Sacerdotum & Optimates populi ne executioni mandarent, nimirum populi in illum studium prohibebat [1].

1. Luc. 19. 47. 48.

*Feriâ tertiâ, 11. Nisan, 31. Martii. Dira in ficulneam sterilem.*

Subeunte vespere, recepit se Jesus unâ cum Discipulis suis in Bethaniam, & mane alterius diei Jerosolymam repetens, cum cibo indigeret, ad ficulneam foliis quidem fecundissimam, sed fructibus sterilem venit. Frustra excussa, cum alioqui immaturum esset ferendis fructibus tempus; maledixit; statimque ejus vim sentiens arbor exaruit (u).

5. Matt. 21. 18. 19. Marc. 11. 22. 13. 14.

*Negotiatores iterum e Templo eiecit.*

Venit iterum in Templum, iterumque in negotiatores incidens, eorum tabulis mensisque subversis, omnes foras eiecit. Opportunum captabant tempus illius capiendi Sacerdotes; sed populi ad ejus sermonem obstupescens studium illos remorabatur. Inclinate in vespere die Bethaniam rediit (x).

x. Marc. 11. 15. 19.

*Feriâ quartâ, 12. Nisan, 1. Aprilis. Effectus fidei mirabiles.*

Redeunte die, rediit & Jesus unâ cum Discipulis Jerosolymam, & cum secus viam aridam ficulneam illam, de qua supra, intnerent, dixit Jesus Discipulis, hæc & maiora eos præsturos, sicut & ad nutum montes in mare transluros, siquidem fidem haberent. Adiecit: Amen dico vobis: omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut Pater vester, qui in Cælis est, dimittat vobis peccata vestra: quod si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis (y).

y. Matt. 21. 20. 11. Mar. 11. 20. 26.

*Baptisma Joannis unde, e Cælo ne an potius e terra?*

Cum pro more ad Templum venisset, interrogarunt Jesum quidam ex Phariseis, & Optimatibus, qua hæc auctoritate præfaret? Interrogavit vicissim illos Jesus, unde nam Baptisma Joannis, e Cælo ne an ex hominibus? Vim ejus questionis intelligentes Sacerdotes, quippe qui si e Cælo fuisset responderent, à Christo urgerentur, cur igitur Joanni non credidissent; si verò ex hominibus, adversarium nacti fuissent populum; optimum factum censuerunt, si nescire se responderent. Tunc Jesus: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio (z).

z. Matt. 21. 24. 29. Marc. 11. 29. 33. Luc. 20. 2. 7.

*Parabola duorum Filiorum, qui ambo ad colendam vineam missi, alter quidem vadit, non alter.*

Parabolam illis proposuit Jesus duorum filiorum, quos ambos pater in vineam ire præcepit. Primus ire se quidem recusavit, iuit tamen; alter verò se iturum spondens, reapse tamen paternis mandatis non paruit. Quæsit autem, uter paternæ voluntati morem gessisset. Respondentibus illis, filium, qui ad vineam se contulit; iterum Jesus: Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Venit ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei (a).

a. Matt. 21. 28. 32.

*Parabola vineæ vinitoribus locatæ.*

Aliam innexuit parabolam, Patrisfamilias, qui vineam suam locavit agricolis, exigendisque ab illis opportuno tempore fructibus servos suos misit. Sed venientes illos apprehendentes agricolæ, atque injuriis affectos, depulerunt alios, alios occiderunt. Ratus proinde Dominus ad officium filii sui præsentia nequissimos illos agricolas cogendos fuisse, eò filium misit. Sed vix prospècto, agricolæ mutuis sese sermonibus hortabantur, ut illatâ in illum nece totâ hæreditate potirentur. Vix igitur venit, apprehensus & extra possessionem raptatus, miserè occisus est. Quid, rogo, parricidis istis fiet, cum ultionem exacturus Dominus veniet? Respondit quidam ex adstantibus, fore, ut omnes trucidarentur, atque vinea alius locaretur. Sed probè intelligentes Sacerdotes & Pharisei, vim sermonis Jesu Christi ad ipsos converti, reposuerunt: Absit; statimque Jesus: Quid est ergo hæc quod scriptum est? Lapidem quem reprobarerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus; & qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum. Hæc omnia sine ambagibus de se dicta probè norant Principes Sacerdotum, omnemque captabant opportunitatem, quò virum apprehenderent; sed metu populi, tanquam Prophetam illum respicientis, retinebantur (b).

b. Matt. 21. 33. 46. Marc. 12. 1. 21. Luc. 20. 9. 19.

*Parabola nuptiarum filii Regis, ad quas invitati convivæ venire recusant.*

Hanc narrare parabolam aggressus est. Regnum Cælorum assimilatur Regi, qui ad paratas filii sui nuptias plures invitavit; sed illi omnes venire recusarunt. Quare alios pariter ad illos servos misit, eadem rogans; sed pervicacius invitati illi ad huc resistentes, alii quidem varias causationes pretenderunt, alii apprehensos servos

*Cujus Filius Christus?*

Nemo exinde Jesum quæstionibus tentare audebat; sed ille pluribus vicissim propositis, ipsos torquebat. Interrogavit, quid de Christo crederent, eccujus filium arbitrarentur? Illis nihil cunctantibus, & de David proditurum respondentibus; unde ergo, ait Jesus, David in Spiritu Dominum illum suum appellat, dicens. Dixit Dominus Domino meo? Si Filius David, quomodo ejusdem Regis Dominus? Siluerunt Judæi coacti, & exinde ne convenirent quidem virum, se continebant (g).

g. Matt. 22. 41. 46. Marc. 12. 35. 37. Luc. 20. 41. 44.

*Scribæ & Pharisei Moysis cathedræ insident.*

Converso tunc Jesus ad populum & Apostolos sermone, dixit, Scribas & Phariseos Moysis quidem cathedram occupare, auscultarent proinde docentium verba, sed ab exemplis absterent; cum grandia illi onera eorum humeris imponerent, quæ ipsi vel unico digitulo levare recusassent; atque id unice spectarent, ut singulares in populo viderentur, prima occuparent subfellia, & magistrorum ambizioso titulo intumescerent. Idecirco, ait, ampliores in vestibus suis ansas & simbras trahunt, quò à ceteris distinguantur. Vos igitur ne vana hæc & ambitiosa quaratis, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; qui enim se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur (h).

h. Matt. 23. 1. 13. Marc. 12. 38. Luc. 20. 45. 46.

*In Phariseos irvehitur.*

Invektivâ suas in Phariseos persecutus, vitio illis vertit, 1. Quòd Cælum alius ita clauderent, ut ne sibi quidem aperirent. 2. Quòd proventus viduarum vorarent, sub affectato proluxarum orationum obtentu. 3. Quòd terras & maria decurrerent, ut Proselytum facerent, quem deinde plus multo nequiores, quàm antea, redderent. 4. Quòd duces essent cæci, populos erroneis legis interpretationibus seducentes; ut e.g. cum docerent, sacramento obligari illum, qui pro auro Templi, & munere, quod in Altari offertur, fidem suam adstrinxisset; cum interim jurantes pro Altari & Templo nullâ jurisjurandi religione tenerentur, quasi scilicet non major esset Altaris & Templi, quàm victimarum & auri religio [i].

i. Matt. 13. 13. 23.

*Hypocrisis Phariseorum.*

Exprobravit pariter, decimas menthæ & rutæ hortorum suorum religiosè ab illis offerri. Legis verò necessaria negligere, justitiam, misericordiam, fidem; excolare calicem, camelum autem glutire; exteriora calicis mundare, intus autem, ait, pleni estis rapinâ & immunditiâ; adificia-

afecerunt injuriâ, quin & occiderunt nonnullos. His offensus Rex fidem suam sacramento obligavit, neminem ex invitatis cenam suam degustaturum; missisque statim ad itinera viarum famulis, obvios quoscunque invitavit ad cenam. Cum omnes accumberent, ingressus Rex hominem non vestitum veste nuptiali intuitus, apprehendi jussit, atque manibus pedibusque religatis, in viam inter tenebrosos noctis horrores projici. Ita verò narrationem hanc suam clausit Jesus: Multi sunt vocati, pauci veri electi (c).

c. Matt. 22. 1. 14.

*Pharisei & Herodiani capere Jesum in sermone tentant.*

Secedentes à Jesu Pharisei capere virum in sermone meditati sunt; quare per summisos Discipulos suos unâ cum Herodianis interrogarunt, num vedigal Casari pendere fas esset. Callidas eorum artes probè intelligens Jesus, monstrari sibi numisma censûs jussit; roganque ejus illud imaginem & inscriptionem præferret, auditoque Casaris esse omnia, ita tandem sententiam suam tulit: Reddite ergo, quæ sunt Casaris, Casari, & quæ sunt Dei, Deo (d).

d. Matt. 22. 14. 22. Marc. 12. 12. 17. Luc. 20. 22. 26.

*Saducei confusi.*

Eadem die venerunt Sadducei, genus hominum nullam esse dicitans resurrectionem Mortuorum, immortalitatem animæ, nulloque dari Spiritu, interrogaruntque, tentandi hominis gratiâ, num femina, quæ septem viris alteri post alterum nupsit, in resurrectione ad aliquem ex illis, & ad quemnam pertineret. Quibus Jesus, ignorare illos Scripturas æquè & Dei potentiam, dixit. Namque in resurrectione nulla, ait, futura sunt connubia, sed erant omnes sicut Angeli Dei. Quod autem, adiecit, ad resurrectionem à vobis negatam spectat, non legis Deum è rabo ardente ad Moysen verba facientem se ipsum appellasse Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob? Non est autem mortuorum Deus sed viventium; vivunt ergo Patriarchæ. Eo responso percussis Saducei non ultra tentare virum ausi fuerunt (e).

e. Matt. 22. 23. 33. Marc. 12. 18. 27. Luc. 20. 27. 39.

*Quod maximum in lege mandatum?*

His secedentibus, tentaturi venerunt Legis consultissimi viri, querentes quodnam maximum diceret in tota Legge præceptum? Jesus præceptum amoris Dei primas tenere indicavit, secundum ab eò locum debere præcepto amoris proximi. In his duobus mandatis, ait, tota Lex pendet & Propheta. Responsum Magistri Legis peritus probavit; cui Jesus: Non est longè à Regno Dei (f).

f. Matt. 22. 34. 40. Marc. 12. 28. 34.